

quod subjectum, quod utrumq; contrarium recipit. Subje-  
 ctum istud est materia. Eodem modo in generatione sub-  
 stantiali dicendum est, substerni aliquam materiam, sive sub-  
 jectum, ut cum ex homine fit cadaver, ex cadavere terra, ex se-  
 mine homo. Alioquin ex nihilo aliquid fieret, quod planè  
 est impossibile. Accedit, quod res naturales nihil producant  
 nisi ex materia probè dispositâ, si enim non esset materia, res  
 in instanti produceretur, & quidlibet fieret ex quolibet. Pro-  
 inde elementa illa quatuor, licet habeant in se materiam, non  
 tamen sunt ipsa prima materia, quodlibet enim eorum posset  
 ex quolibet fieri, cui transmutationi subjicitur materia. Quam  
 probationem Materiæ primæ *Non nemo* non modò approbat;  
 sed etiam rem declarat verbis sequentibus: Unum siquidem  
 & commune est subjectum, quod omnes formas tam substan-  
 tiales quàm accidentales suscipere aptum natum est, adeoq;  
 omnium mutationum, quæ circa formas quascunq; obtin-  
 gunt, receptivum. *Johann. Lalemandet in decis. Phil. part. 2.*  
*Phys. disp. 2. p. 26.* argumentum pro existentiâ Materiæ primæ  
 sumit ab Experienciâ, Videmus enim, *ait*, aliquid excrecere  
 in majus v. g. ignem adhibito combustibili, unde inquiri, *in-*  
*quit*, quod facit majorem ignem, vel est forma ligni, vel mate-  
 ria ligni? Non forma ligni, quia supponitur jam esse forma  
 ignis, ergò ipsa materia ligni, ex quâ educitur forma ignis au-  
 ctâ ejus materiâ; ergò aliquid formæ ligni & formæ ignis com-  
 mune datur, & hoc est materia prima. Deinde illi ipsi supra  
 adducti *Conimbricenses* existentiam Materiæ primæ compro-  
 bare laborant *ex generatione*, unde ita inferunt: Quicquid  
 gignitur, gignitur ex aliquo, quod prius extiterat: id autem  
 non est forma, ea namq; denuò inducitur: est igitur quip-  
 piam, quod advenientem formam excipiat, & unum idemq;  
 permaneat, id est materia. *Ex oppositione*, quando ita disce-  
 runt: Sicuti in summo rerum gradu est actus purus, nullius  
 indigus, formarum omnium effector, & omnis mutationis ex-  
 pers, in quæ series efficientium causarum ultimò desinit: Ita in  
 infimo aliquid esse debet, quod sit pura potentia, omnium  
*regna*, formarum omnium receptrix, & ipsa per se informis,